Nro. 119.

DE

PARTU AGRIPPINO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA OBSTETRICIA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XVI. M. MAJI A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS BENEDIX,

GRIMMA POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

L. KERSTEN, MED. ET CHIR. DRE.,
A. BERLIN, MED. ET CHIR. CAND.,
L. MAC-LEAN, ICTO.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO GENEROSISSIMO

C. F. J. DE BARNEKOW,

ANTIQUAE NOBILISSIMAEQUE RUGIAE STIRPIS,
DOMINO HEREDITARIO PRAEDIORUM KLEIN-KUBBELKOW,
STÖNNEKEVITZ, TESCHENHAGEN ET PRISSEVITZ C. P.

FAUTORI

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

QUALESCUNQUE LITERARUM PRIMITIAS

REVERENTIAE DEBITAE DOCUMENTUM

EX INTIMO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quamquam qui medici rationalis eruditique nomen sibi vindicaturus totius, quantacunque est, medicinae notitiam amplecti debet, nullus, ni fallor, et ingeniosissimus quidem invenitur, qui pari ardore parique progressu in omni amplissimi hujus studii parte versatus est. Qua re factum est, ut alii artis salutaris periti prae aliis huic vel illi medicinae parti singulari studio incumberent. Artis obstetriciae amor et pristinis et nostris praesertim temporibus tantus erat, ut in hanc solam illustrandam evolvendamque, qua tot homines servarentur, multos viros et praestantissimos quidem ita perduxerit, qui insigni studio indefessoque labore excellentes, et enuntiatis et scriptis et multifariis repertis hanc medicinae partem optime illustraverint, illustratamque addiscentibus posteris tradiderint. Quibus et rei ipsius maxima dignitate et ego excitatus arti obstetriciae omnes vires impendendi omnemque operam navandi, Deo favente, consilium jam

dudum cepi. Quid enim medico suavius esse, quid dulcius potest, quam, ingentibus saepe laboribus eximiisque molestiis superatis atque impedimentis multifariis victis, nutabundum intutumque reipublicae membrum servare, marito ornamentum sustentare, familiae fulcrum comparare, novumque mundi civem in lucem proferre? Quam ob rem, quum de apto dissertationis inauguralis argumento eligendo cogitare coepissem, non diu haesitavi, quin in illam disciplinae nostrae provinciam animum converterem. Quam perlustrans, quum omnes fere partes laudabili diligentia tractatas expositasque invenissem, de partu Agrippino scribere conatus sum, quippe qui, monographia hodierna apud nostrates desiderata, multum investigatu dignissimum offerat. Cui conamini eleganter perficiendo quantae obstent difficultates non ignorans, tirocinio huic reperta et dicta, sed huc et illuc dispersa non nisi colligenti benigne indulgeas, et de tironis specimine sententiam severam ferre nolis.

DE
PARTU AGRIPPINO
SEU
AGRIPPARUM.

CAP. I.

DEFINITIO PARTUS AGRIPPINI, DERIVATIO VERBI, HISTORICA QUAEDAM ATQUE AUCTORES PRINCIPALES.

Partus ubi infans pedibus, qui ab initio jam antejacebant, praeviis in mundum editur, partus nominatur Agrippinus seu Agripparum. Hujus vocabuli etymologiam interpretatur *Plinius* [1]) hisce verbis: „In pedes procedere nascentem" — inquit — „contra naturam est, quo argumento eos appellavere „Agrippas, ut aegre partos, qualiter M. Agrippam „ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo in „omnibus ad hunc modum genitis". Ac deinde: „Neronem quoque" — aït — „paulo ante principem et toto principatu suo hostem generis humani „pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina". Idem cum *Plinio Aulus Gellius* [2]) sentit; verbis uti-

---

[1]) Historiae natural. Libri. VII. I. Cap. VI.

[2]) Noctes Atticae Libr. XVI. Cap. XVI.

tur hisce: „Quorum in nascendo" — aït — „non „caput, ed pedes primi extiterant, qui partus diffi„cillimus aegerrimusque habetur, Agrippae vocabulo „appellat, ab aegritudine et pedibus. Confixos esse „autem pueros in utero *Varro* dicit capite infimo „nixos, rursum pedibus elatis, non ut hominis na„tura est, sed ut arboris".

Verumtamen alii auctores [1]) verbum illud ab *αγρια* (ferox) atque *ιππος* (equa) derivandum esse ex ea re putant, quia Graeci Nomades apud equas asinasque, quas parturientes prae ceteris animalibus observare poterant, nascentis duos pedes etsi anteriores praevios saepissime perceperunt. Verumenimvero in operibus *Hippocratis* aliorumque Graecorum auctorum, quae exstant, scriptis illius nominis nunquam mentio fit. *Hippocrates* [2]) ipse, medicorum veterum princeps, illos partus ad *δυςτοκειας* (partus difficiles) adnumerans, de partu cum pedibus praeviis haec asserit: „Grave vero" — inquit — „etiam est, si in pedes prodeat, ac plerumque aut „matres, aut puelli, aut ambo etiam perierunt". Quam ob rem infra pergit: „Ut vero qui brachium „aut crus aut utrunque vivi foetus foras emittunt, „eos oportet simul ac de exitu significationem fe„cerint, prius commemorato modo intro retrudere, „in caput obvertere et in viam adducere". Haecce verba, Graecos illos partus pedibus praeviis vitae tam matris quam infantis perniciosissimos infaustissimosque habuisse, sat clare approbant. Veterum

---

[1]) *Kraus* kritisch-etymologisches Lexicon, pag. 15.

[2]) *περι γυναικειων νουςων* Lib. I. Cf. cujus opera omnia quae edidit *A. Foesius* Francof. 1595. fol. Sectio V. pag. 167 sq. pag. 183.

autem amorem proclivitatemque ad omina, quis est quin affirmet, maximam fuisse? Quum enim et Graeci illam superstitionem, quam *Plinius* [1]) commemorat, pedibus nempe praeviis nato, nil nisi calamitatem esse futuram sortemque funestam, procul dubio professi sint, *Plinii* Aulique *Gellii* etymologia quam maxime mihi arridet.

Cunctis fere temporibus multa de hoc partu in medium prolata sunt, quorum pauca sed praecipua me adlegantem audire te non taedeat. Praeter *Hippocratem*, quem supra jam adduxi, *Plato* [2]) divinus ille, in Thaeeteto memorat obstetrices Athenienses e. c. *Sotiram*, *Musam*, *Pharanetem* etc., quae a medicis eruditae huic partui tunc infaustissimo interfuerunt. *Aristoteles* [3]) multa de graviditate atque partu profert, quae ad meum argumentum magnopere pertinent; e quibus elucet, hanc sententiam et tunc quoque valuisse: partum nimirum capite praevio naturalem, pedibus vero vel aliis partibus ingredientem contra naturam ac perniciosissimum esse. *Celsus* [4]), quamvis perpauca de arte obstetricia nos doceat, versionem tamen ad pedes primus tradit, qua re demonstratur, partum Agrippinum tam perniciosum haud amplius existimatum, illud autem ab *Hippocrate* prolatum, quod foetus nascendus in caput semper vertatur necesse sit, refutatum esse. Ille enim (Cap. XXIX. qua ratione

---

[1]) l. c. pag. 183.

[2]) opera omnia Frkf. 1612 fol. pag. 110 112.

[3]) Histor. de animal. *J. C. Scaligero* interprete c. ej. comment. Tolus. 1619. fol. Libr. VII et X.

[4]) de medecina Libr. VIII. Libr. VII. Cap. XXIX. pag. 519.

partus emortuus ex utero excutiatur): „Medici vero" — inquit — „propositum est, ut infantem manu „dirigat, vel in caput, vel etiam in pedes, si forte aliter compositus est; ac si nihil aliud est, manus vel pes apprehensus corpus rectius reddit; nam manus in caput, pes in pedes eum convertet". — Iisdem temporibus ac serius foeminae Romanae parturientes misericordiam Postvertae in partu Agrippino implorant. *Plinius* [1]), qui e multis operibus scriptisque compendium compilasse dicitur, praeter plurima ab aliis enuntiata, pauca sibi propria, ea nimirum, quae de Agrippis dixit, nobis tradidit. *Moschion* [2]) „Quatuor" — inquit — „modis nasci „infantes posse, capite, pedibus, oblique jacentem, „conduplicatum; melius tamen esse capite, bonum „etiam pedibus". *Aetii Amideni* [3]) qui *Philumeni Aspasiaeque* cujusdam scripta mox deperdita excerpsit, (in Cap. de variis causis difficilium atque praeternaturalium partuum) verba ad hanc nostram quaestionem sunt referenda. *Paulus Aegineta* [4]) cognomine Alkawabeli (geburtshülflicher Arzt) obstetricibus diligentissime erudiendis deditus, primus erat, qui, infantem pedibus oblatum partu tam difficilem non esse, sed sine omni fere auxilio nonnunquam emoveri, docuit. *Abubeter Rhazes Mao-*

---

[1]) l. c. etc.

[2]) Gunaecia s. de mulier. effect. et morb. cur. Isr. *Spach* Argent. 1597. fol. Cap. IX. pag. 10

[3]) A. A., quem alii Antiochenum vocant, med. Libr. XVI. Bas. 1535 fol. Cap. XXII, XXIII.

[4]) P. A. medici insignis opus divinum, quo vir ille vastissimum totius artis oceanum Laconica brevitate, etc. in epitom. red. Alb. Vetrodurensi interpr. Basil. 1532. fol. Lib. III. Cap. 76.

meth [1]), postquam, foetus octo mensium pedibus praeviis ingressos esse in lucem, observaverat, foetum tum demum se ad caput vertere arbitratus, multifaria alia his de rebus enuntiavit. Ineunte saeculo dec. VIto *Eucharius Röslin* agnomine Rhodion [2]) (auctor libelli, quem *Smellie*: „Universally the „Womans bock over all Europe" et *Haller*: „Ce-„lebre suo aevo opus, et pene classicum" nominat) haec habet: „At vero" — inquit — „ubi par-„tus contra naturam egeritur, qualis fit, si pedes „priores egerantur, ibi tum necesse erit, omnem „operam atque curam adhibere obstetricem" etc. etc., quibus dictis, multa in pagellis de partu Agrippino enixe proponit. Saeculo decimo VIItmo *Scipio Mercurius* [3]) librum pro obstetricibus scribens, quamvis versionem in caput, ubi pedes praegrediantur, perficiendam esse malit, ejus tamen consilii auctor jam est, quo foetus uno pede in partu Agrippino extrahendi sunt. Sub finem hujus saeculi *Paul Portal* [4]) enixissime praemonet, ne natura in partubus Agrippinis praecipitetur; ceteroquin versioni in pedes prae ceteris adnuit.

Quamquam Veterum opera de rebus medicis scripta posterisque tradita magni existimanda esse

---

[1]) Opera exquis. lat. don. pr. *G. Toletanum*, *Andr. Vesalium* et *Alb. Torinum*. Basil. 1544. fol.

[2]) der Swangern Frawen und Hebammen Roſsgarten, lat. s. Tit. de Partu hominis et quae circa ipsum accidunt etc. *D. Euchar*: *Rhodii* Libell. pag. 17, 18 sq.

[3]) la Comare ovvero raccogliatrice del. Excell. Sign. Scip. Merc. Venez. 1604. Germ. a G. Welsch. Lpz. 1653.

[4]) la Pratique des accouchemens à Paris 1685. 8.

apud omnes constat, quamquam divini illius *Hippocratis* praecepta therapeutica ac semiotica cunctis temporibus exemplar praebent imitabile, ars contra Graecorum ac Romanorum obstetricia videtur esse imperfecta, absona rudisque. Qua de re, omnia opera supra nominata historiae literariae multum valere, nihil fere practicis medicis prodesse, arbitranti mihi sine dubio adsenties, si et istorum dogmatum asseclas, ceterosque auctores usque ad saeculum septimum decimum viventes consideraveris. Experrecta proximo demum saeculo, decimo octavo, ars obstetricia praestantissimis viris docentibus efficientibusque magis magisque processit. Quorum virorum nonnullos tantum nominabo; e. g. *De la Motte* [1]), *Levret* [2]), *Smellie* [3]), *Astruc* [4]), *Roederer* [5]), *Henkel* [6]), *Crantz* [7]), *Baudelocque* [8]), tanta taliaque nobiscum communicaverunt, e quibus et nostra tempora haurire possint, et ego in meam quaestionum exponendam hausi. Ne duas de partu Agripparum monographias obliviscar solas, quae saeculo

---

1) *G. Mauquest*, nommé de la M. Traité complet des accouchemens naturels, non naturels et contre Nature. Leidn. 1729.

2) L'art des accouchemens à Paris 1761.

3) A treatise of the Theory and Practice of midwifery. London 1752.

4) L'art d'accoucher reduit à ses principes, à Paris 1766.

5) Elementa artis obstetriciae. Gott. 1766.

6) Abhandlungen über die Fufsgeburt. Berlin 1770. 8.

7) Einleitung in eine wahre und gegründete Hebammenkunst. Wien 1756.

8) L'art des accouchemens, à Paris 1781. 8.

proximo emanaverunt, alteram conscripsit *Wetzlar* [1]), alteram *Keiselitz* [2]). Notris temporibus in artem obstetriciam magis magisque evolvendam tanta virorum eruditissimorum multitudo incubuit, ut paucos nonnisi hic laudare mihi liceat. Illustr. *de Siebold* [3]), *Froriep* [4]), *Joerg*, *Boer* [5]), *Kluge*, *Wigand* [6]), *Busch*, *Osiander* [7]), *Mende*, *Stein* [8]), etc. etc., praestantissimi, quibus et ego de hoc argumento disserturus et tota gens humana multum debet.

CAPUT II.

DE PARTU AGRIPPINO ADNUMERANDO, DE IMPERFECTO ET PERFECTO, DE EJUS QUOAD ALIOS RELATIVA FREQUENTIA; ADJECTIS NONNULLIS DE PARTU, UBI GENUA PRAEJACENT.

Partus Agrippinus, qui, ut docti sumus, praegressis saeculis periculosissimus infaustissimusque

---

[1]) De iis, quae in Agripparum partu observanda, Dissert. Gieſsen 1760.

[2]) De partus Agripparum difficultatibus Diss. Leipz. 1767.

[3]) Lehrbuch der theoretischen und praktischen Entbindungskunde. 2. Thl. Nürnberg 1821.

[4]) Handbuch der Geburtshülfe, Weimar 1827.

[5]) Abhandl. u. Versuche geburtshülflichen Inhalts. P. III.

[6]) Die Geburt des Menschen, herausgeg. von *C. Naegele.* 2 Bde. Berlin 1820.

[7]) Handbuch der Entbindungskunst. I. II. B. III. B. Tübingen 1825.

[8]) Lehre der Geburtshülfe. 2 Th. Elberfeld 1827.

contra naturam habebatur, et a vulgo saepenumero habetur, nostris temporibus, ubi ars obstetricia magis elaborata est et medici Naturae nutum sequi conantur, salubrior commodiorque redditus est. — Prae omnibus, quas auctores diversi diversas partuum divisiones proponunt, illa mihi Illustr. *de Siebold* [1]), benignissimi praeceptoris, perquam arridet, qua partus duplici modo, in partus normales atque abnormes, in naturales praeternaturalesque disponuntur. Quodsi hanc dispositionem sequor, partum pedibus oblatum ad naturales, minime vero ad normales, neque ad praeternaturales adnumerandum esse contendo. Primus *de la Motte* [2]) ad naturales partum Agrippinum referendum esse argumentatus, Cel. *Cranz* [3]) et *Astruc* [4]) serius etiam Cel. *Boer* [5]) et *Hinze* [6]) et nostri temporis plurimos auctores sequaces habet, qui, minutulis exceptis, idem fere sentiunt. Nec perperam partus hic ad naturales [7]) refertur, quippe quum infans pedibus praejacentibus solo Naturae nisu, parietibus nimirum uteri contractis, si quidem rationes quaedam et foeminae parturientis et foetus ipsius et placentae liquorisque amnii peculiares a me hic non perpendendae fa-

---

[1]) L. c. P. I. §. 359. p. 301 sq.

[2]) L. c. pag. 124. [3]) L. c. pag. 130.

[4]) L. c. in praef. pag. 54. et in libr. ipso pag. 95.

[5]) De foetu dimisso clune, genu vel pedibus in Nat. med. obstr. Libr. VII. pag. 152.

[6]) Versuch eines systemat. Grundr. der theoret. u. pract. Geburtshülfe, Stendal 1791. pag. 143 sq.

[7]) Cf. *Wildberg* über die natürl. und widernatürl. Geb. in Lucina. 3. Bd. 3. St. pag. 265. sq.

veant, omni artis auxilio contemto, saepissime in mundum educatur. —

Secundum diversum pedum situm partus Agrippinus aut perfectus aut imperfectus omnibus auctoribus audit; perfectus, ubi ambo pedes procedunt; imperfectus, in quo unus pes prominet. Quotusquisque illum partum, in quo genua praevia se ostendant, ordinem proprium sistere crediderit, hunc tamen infantis situm, quum rarissimus et fortuita quadam externa vi effectus esse videatur, quum porro ejus decursus exitusque idem ac in partu Agrippino iisdem auxiliis operisque egeat, ad partus Agrippinos esse adnumerandum, arbitror. Cui arbitrio verba, a *Rhodio* [1]) jam prolata, non abnuunt. „Quodsi" — ait — „fiat, ut genibus ambobus, aut „altero tantum partus se ostendat, obstetricis erit, eo „usque, dum in pedes procidat, partum submovere, „et ita reliqua deinceps, ut supra etc. etc." — Inter varias rationes, quibus natura ad foetum evehendum uti solet, illa haud frequenter animadvertitur, qua infans pedibus praeviis ad orificium uteri properat et in genitalium sinum descendit. Omnibus observationibus in hunc finem comparatis elucet, inter 80 vel 90 partus unum pedibus praeviis partum occurrere. Qui calculus ut firmetur, sequentia argumenta adlegare mihi liceat. —

Baudelocque [2]) inter 16286 partus 215 agrippinos, 4 genibus praeviis observavit.

Mde. *la Chapelle* [3]) inter 15652 natos, 235 pe-

---

[1]) L. c. pag. 18.

[2]) L'art des accouchemens.

[3]) Pratique des accouchemens.

dibus, atque inter 37895 infantes, 11 genibus praeviis genitos animadvertit.

Decennio praeterlapso in Clinico obstetr. Liter. Univ. Berolinens. [1]) inter 1652 partus 14 pedibus praegredientibus prodierunt. Partus genibus praeviis imperfectus semel tantum apparuit. —

Osiander jun. [2]) inter 100 partus unum pedibus praeviis observavit. —

Stein [3]) 7 infantes refert inter 100 partus pedibus praeviis exivisse. —

CAP. III.

DE SIGNIS, QUAE PARTUM AGRIPPINUM DURANTE GRAVIDITATE INEUNTEQUE PARTU INDICANT, DE PRAESAGIO ET EVENTU IN GENERE, NEC NON DE DIVISIONE.

Incerta atque fallacia esse signa graviditatis in genere, neminem latet, et — quoad partum Agrippinum — fallaciora ac dubia, quibus foetum pedibus praeviis in superiore pelvis apertura situm, graviditatis tempore nondum absoluto, praesagire conemur. Signa autem haec sunt: Subsidentia abdominis gravidi solito minor, major ejus in umbilicali regione durities, foetus motiones in inferiori magis abdominis parte a gravida sentiuntur, molesque circa graviditatis finem inaequalis percipitur. Ubi vero partus incipientis labores foeminam moliuntur, certiora illa signa offeruntur: Doloribus enim partus jam ingruentibus, caput infantile digitis explo-

---

[1]) Cf. *Ed. von Siebold* Anleitung zum Phantom pag. 56.
[2]) Handbuch der Entbindungskunde. Bd. III. pag. 254.
[3]) Cf. *Lucina* Vol. III. St. 2. pag. 257.

explorare et tangere non possumus; portio uteri inferior minus globulosa minori utitur ambitu; uterinum orificium tardius dilatatur, in quo, praeter parvam vesiculam liquore partuali repletam, initio nihil, serius vero artus minores explorantur, et haec vesicula irregularis, et nunc laxior, nunc longior, in formam botuli plerumque extunditur; minime vero, ut capite praevio fieri solet, in latam superficiem ac semiglobam expanditur. Disruptis foetus involucris, aquae foetum ambientes solito citius prosiliunt, earumque major quantitas effunditur. Tunc demum, aperto uterino orificio, hunc partum certissime dignoscimus, si, ruptis foetum circumcingentibus membranis, infantis pedes digito exploverimus, quos propter breviores digitos, pollicem, calcaneum et malleolos a manibus luculentissime distinguere licet. Quoad eventum, hic partus sorte atque fortuna cum aliis normalibus ac naturalibus pariendi modis eadem uti solet, et id, quod de quolibet partu peritus fatebitur medicus, partum bonum existimari non posse, prius quam perfecte fausteque absolutus sit, de praesenti pari ratione valebit. Quem opportunis omnibus conditionibus facillimum saluberrimumque procul dubio exire posse, rationes vero, quae hoc in partu vitam infantis periclitentur, aut istis causis, quae etiam alium quemcunque infantis situm periculosum reddere polleant, aut temerariis experimentis praeposterisque auxiliis, minime vero partu Agrippino solo innixas esse, non ignoramus. Sunt autem certae conditiones, quibus natura suopte nisu hunc partum optimo successu persolvere potest. Quae partus Agrippini perfecta absolutio toties exspectari potest, quoties

pelvis est ampla beneque formata, vis dolorum omnium efficax; quoties velamenta rupturae diu resistunt, ita ut orificium uterinum satis dilatetur; quoties brachiis infauste ineuntibus capitis evolutio non impeditur, funiculus umbilicalis prolapsus crura non circumvolvit, et ejus pulsatio perdurat; quoties foetus magnitudini relativae respondet, cum pedibus oblatis alia corporis pars non protruditur et infantis truncus axi suo perpendiculari a pelvis axi non deflectitur; quoties tandem infans proprio suo calore coloreque adhuc gaudet, et omnia caetera symptomata matris affectae omnino desunt, etc. etc. Ubi vero alia se res habet, ubi dolores desinunt, ubi, trunco infantis refrigescente, meconium defluit, brachiaque ossium pubis arcui decussatim se apponunt, vel e pelvi ita egressa sunt, ut infantis collum ab orificio uteri constringatur, atque infibuletur, ubi alia a priori non certe definienda, sed progresso demum partu optime cognoscenda obstant, ibi et hic partus Agrippinus majorem difficultatem praebebit. —

Quibus rationibus innixus, divisionem partus Agrippini in partum naturalem abnormemque sistere optimo jure possum. Alter enim natura sola impetratur, in altero tamen medicus, negotii adjutor, ad salutem et matris et infantis quam maxime conferat necesse est. Caveat autem medicus, ne hic soli naturae [1]) nimiam fiduciam coecus quasi habeat, et omnia artis adjumenta adspernetur, neque vero illic arte omnia perficere velit et naturali nisui

---

[1]) cf. *Nolde*, über die Grenzen der Natur und der Kunst. 2. Aufl. Erfurt 1816.

temere antevertat; recordetur potius medicus illius effati:

„Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim!"

— et illius:

„Medium tenuere beati!" —

CAP. IV.

DE VARIO SITU FOETUS PEDIBUS AD PARTUM INGREDIENTIS ET DE HUJUS PARTUS MECHANISMO [1]).

Sicut in aliis foetuum in utero materno positionibus frequentes deprehendimus a naturali tramite aberrationes, infans etiam pedibus prodiens non semper unum eundemque habere solet situm corporisque sui directionem. Ad omnia enim superioris pelvis aperturae latera directi in partum intrare possunt pedes, quorum directiones qualescunque, coxis in pelvim nondum ingressis, nullius in partum gignendum sunt momenti. Coxae autem, quibus jacentibus partus Agrippini species diversae nituntur, quadruplici modo digitis pedum calcibusque exploratis cognoscendo, ad vicinas partes dispositae esse possunt:

1) In linea Deventerica sinistra, quae a sinistra ossis ilei cum osse pubis symphysi ad dextram synchondrosin sacroiliacam trahitur, coxae jacent, et pectus infantis et abdomen ad sinistrum et posterius matris latus versa sunt.

---

[1]) cf. *Froricp* l. c. pag. 227. — *Wigand* l. c. Bd. II. pag. 428.

2) Contrarium tenent coxae situm, dum in dextra linea Deventerica jacent, et pectus infantis et abdomen in latere matris posteriore, sed dextro inveniuntur. —

3) Coxae primo situ (ad 1) utuntur, sed pectus infantis et abdomen antrorsum, et ad dextrum matris latus reclinata sunt.

4) Coxae secundum situm (ad 2) ostendunt, sed pectus infantis et abdomen antrorsum et ad latus matris sinistrum se vertunt.

In horum situum unum semper abeunt coxae, etiamsi primus earum situs in linea pelvis transversa fuerit.

Est autem in omnibus partus speciebus Naturae lex, quod eae partes infantis, quae Deventericas vel transversas aperturae pelvis superioris lineas transeunt, inferiorem pelvis aperturam ingressae ejus diametrum rectam (quae ab apice ossis coccygis ad marginem symphyseos ossium pubis inferiorem fingitur) occupent, et hac ratione ea infantis pars, quae ossi sacro proxima fuit, omnium prima et celerrime e genitalium sinu emittatur. Quae lex quum in partu Agrippino etiam valeat, celeritas notatu digna est, quâ in hoc partu caput infantis, motu illo, uti in capite normaliter praegrediente fieri solet, flexuoso contemto, sub ossium pubis arcu non adpressum, directa via fere etruditur.

CAP. V.

DE IIS, QUAE IN PARTU AGRIPPINO NATURALI SUNT PERPETRANDA.

„Noxia omnis officiosa sedulitas, quia Naturae „efficaciam turbat:" hoc dicit *Sprengel* [1]), et idem sentit *Treviranus* [2]), hisce verbis: „Wir müssen" — inquit — „unermüdete, aber müfsige Beobachter „der Autocratie der Natur seyn, und blofs da han- „deln, wo unser Handeln nur nützen, nicht scha- „den kann!" Quae verba aptissima ac pulcherrima meae praeprimis quaestioni convenire, quis est, quin confiteatur? Quis est medicorum obstetriciorum, quin hanc sententiam toto animo agnoscat? Suopte nisu, repudiatis omnibus artis auxiliis, naturam partum Agrippinum posse absolvere, e multis exemplis unum illud a *Stark* [3]) adlatum probat, quo innupta quaedam flexis genibus jacens infantulum pedibus praeviis egredientem sine ullo auxilio feliciter peperit. Attamen medici opitulantis curas nunquam adspernetur foemina parturitura, quod et in faustissimo partu situs cubileque vult adaptari, parvulus captari tractarique ac perinaeum sustentari.

Quod ad situm ac cubile aptum eligendum pertinet, et in partu Agrippino lectus vulgaris optime convenit, quum in eo foemina parturiens

---

[1]) Instit. Thes. gen. p. b.

[2]) Biologie I. 43.

[3]) Neues Archiv für die Geburtshülfe, 2. B. 1. St. pag. 140.

commode et satis secure poni possit, et situs hic, uti par est, facillime accommodari queat. Cur ergo hunc lectum idoneum cum aliis artificiosis et argutulis cubilibus mutare? Cur, amabo, sellas sediliaque composita atque alios apparatus parturienti terribiles nostris temporibus conducere, qui, gratiae agantur Deo! arte progressa magis magisque evanescunt? Namque e lecto vulgari facili negotio et sine magno apparatu commodum aptumque parturienti cubile adaptari potest, si quidem regionis sacralis erigendae, adjumentorum doloribus elaborandis aptorum ac munditiei sufficientem habueris rationem. Quibus omnibus ille ab Illustr. *de Siebold* [1]) praescriptus pulvinus obstetricius optime respondet, qui, si non in laevibus faustisque negotiis partualibus necessarius, tamen in plerisque optimo successu, ut ego, duce hoc dignissimo praeceptore, satis superque percepi, adhibetur. —

Primis partus Agrippini stadiis foeminae in latere pedibus infantis opposito, ne vesicula durantibus praesertim doloribus infestetur, rectissime positae commendetur summa tranquillitas. Orificio uteri satis aperto, adjumenta remediaque praepares, vel parturientem foeminam in pulvino colloces. Quando, disrupta vesicula, partes infantiles protruduntur, medicus in infantem suscipiendum perinaeumque sustentandum omni studio incumbat. Non possum quin studiosissime praemoneam, ut medicus ab infantis partes progressas torquendo, trahendo ac vellicando abstineat. Omnia enim haec

---

[1]) über ein einfaches und ein bequemes Geburtskissen, mit 1 Kpf. Berl. 1818.

natura sola, nisi artis sedulitas antevertat, optime lauteque perficiuntur. Unum autem ambosve pedes ad clunes usque progressos obstetricius medicus (juxta parturientem foeminam sedens) panno linteo vel laneo, antea bene calefacto involvat, ut parvulus ab aëre externo infestante prohibeatur, ac melius captetur. Truncus infantis sensim sensimque involutus ea ratione sustentetur, qui altera adjutoris manu ad latus sursum tollatur, quo facto perinaeum, humeris et capite infantis apparentibus, altera ejus manu enixe ac sedulo fulciatur. Qua agendi via infans prosperrime facillimeque nascitur, et civis hic mundi recens ab adjutore receptus, funiculo umbilicali, si nimirum pulsatio aut prorsus desiverit, aut desinere coeperit, subligato, curatrici offeratur. Quo modo placenta eliciatur, et puerpera porro tractetur, res est, quae saepissime jam exposita, ad me de partu Agrippino in specie disserentem non pertinet.

CAPUT VI.

DE OFFICIIS ATQUE AUXILIIS IN PARTU AGRIPPINO ABNORMI PRAESTANDIS [1].

Potest, velut omnes partus species, partus etiam Agrippinus a norma aberrare, possunt conditiones existere, quae partum hunc accelerari volunt. Quae quum ita sint et uterus omni agendi vi destitutus

---

[1]) cf. pr. al. cit. *Eduard v. Siebold*, Anleitung zum geburtshülflichen technischen Verfahren am Phantome. Berlin 1828, pag. 82 sq. pag. 101. pag. 146.

sit et natura partus negotium sola neutiquam perficere polleat, ars operam suam non sine fructu navabit. Quibus de rebus principalia tantummodo ac necessaria exponere hoc libelli hujus caput studebit. Apparatu instrumentorum peculiari non eget medicus; omnes enim quas praestare possit, operae manuales sunt; qui, utcunque re est, forcipem secum semper ferat, et analeptica remedia et restaurantia in promtu habeat, quoniam infantis vita in periculum nunc majus nunc minus incidere solet. Nunquam non, aquis partualibus non defluxis, antequam pedes protrahere studuerit, vesiculam arte discutere nitatur medicus. De situ, quo foemina partu Agrippino abnormi laborans uti debeat, quaedam mihi restant verba; nam praeter leves partus hujus labores, quibus cubile supra commemoratum sufficiet, in difficilioribus, ubi majores vires intenduntur, lectus transversus *de la Mottii* [1]) aptissimus erit, quia medicus obstetricius ante parturientem sedens, omni vi agere potest. Quodsi pedes ita dispositi sunt, ut uterque pes simul captari possit, dextram manum, dorso uncto, conice formatam immittat et utrunque pedem lege artis captatum, vi conveniente, extra genitalium sinum detrahat. Quibus protractis dextra manus sinistrum, dextrumque pedem sinistra ad poplites usque evolvat. Saepenumero hanc pedum directionem evolutionemque solam sufficere videmus; sin autem partum perficiendum nunc etiam natura recusat, extractio trunci infantilis a medico ita pergatur, ut, partibus nudis panno calido diligenter involutis, extremitates infantis inferiores,

---

[1]) cf. *v. Siebold* T. II. §. 383. pag. 241.

palmis ad longitudinem et ad matris genitalia proxime impositis, rotando deorsum attrahantur. Quibus agendis medicus rotationis infantis illius, in quam natura tendat (attento advertere, quo vergat natura *Hippocr.*) rationem habeat necesse est. Extremitatibus inferioribus evolutis, respiciendum est, utrum funiculus umbilicalis prolapsus sit; prolapsum enim removeas, dum funiculus supra crus genu paullulum flexum ad latus trunci editi promovetur. Ubi autem prolapsus deest, funiculus umbilicalis parum attrahatur, ne quid detrimenti, porrecta evolutione, capiat; medicus autem ipse ad lateralis magis infantis regiones manus suas importare, vel, quando fieri possit, thoracem altera manu, altera dorsum cohibere studeat. Quodsi hac ratione scapulae apparuerint, brachiis evolvendis prospicias, quibus autem, partu bene auspicato, utero efficiente, infante non crasso, consulere tibi saepe non opus est. Verumtamen, ubi brachiorum evolutio necessaria est, illud primum solvatur, quod facillime solvi potest, illud dico ad os sacrum versum, postea vero brachium alterum ossium pubis arcui acclinatum evolvatur, utrumque evolutum panno obtegatur. Tandem infantis caput, postquam in inferiorem pelvim deductum est, ita elicitur, ut duobus vel tribus alterius manus digitis maxillam superiorem seu ossa zygomatica arripias, digitos vero illos alterius manus ad occiput sursum spectans disponas, quibus dispositis caput supra perinaeum ita transducitur, ut primum mentum, deinde frontem, et denique occiput solvas. Tota haec evolvendi ratio, quum omnes medici nervos intendat, stando

optime efficietur, quo pacto socius vero perinaeum fulciri debet.

Interdum autem unius pedis, altero vero infaustissime non posito et evolutionem infantis non impediente, rationem tantummodo habeas, hunc rotando detrahas et linteis calefactis obvolvas, usque dum clunes apparuerint, quo facto pes alter adhuc occultus et ad abdomen infantis reclinatus, digito uncato in inguina immisso, facillime celerrimeque evolvetur.

Perniciosissima hujus partus ratio est ea, qua tergum infantis retrorsum, id est, versus os sacrum spectat; qualis situs infantis emendandus mutatur, si infans, postquam, clunibus ingressis, versio, in quam natura tendat, respecta est, palmis applicatis secundum naturae nutum ita vertitur, ut abdomen magis magisque deorsum dirigatur.

Tum, ut brevibus utar verbis, hoc nonnisi adjicere velim, quod in capite manibus efficientibus inexplicabili ad forcipem applicandam fugere debeamus. Truncus igitur brachiaque infantis panno quadruplice bene calefacto obtecta altera socii manu sursum tollantur, et ad latus forcipis singulis crusculis introducendae oppositum vertantur, altera vero suffulciantur. Quibus factis, forcipis cruscula singula caute circumspecteque medicus inducat, legem non negligens, haec, capite infantis ad inferiorem pelvim jam progresso, demissa esse inferenda. Forcipe sub trunco infantis clausa, tractus singuli, perinaeo suffulto, incipiant, et medicus, dum rotando trahere conatur, socium jubeat, truncum sensim sensimque sursum tollere.

Denique natus infans, qui in hoc partu difficili

mortem opinatam saepe simulare solet, omni assiduitate ac diligentia per diuturnum tempus restauretur tenteturque, quippe qui studiosissimis demum conaminibus saepe resipiscat.

CAP. VII.

QUAEDAM DE VERSIONE IN PEDES.

Tametsi de eo partu, in quo infans pedibus praeviis nisu naturali editur, disserendi consilium cepi, illius tamen partus, ubi pedes infantis nascendi initio non praejacentes arte solummodo efficiente quaeruntur et evolvuntur, id est versionis in pedes rationem quandam me habere decet. Cujus partus (quem pedibus apprehensis Agrippinum artificialem dicerem) commentatio perfecta exquisitaque a me exspectari nequit, quippe qui de partu Agrippino proprio scribens, et versionem infantis in pedes primis tantum labris attacturus, nil nisi adpendiculam de partu Agrippino artificiali, deque eo quem dicunt imperfecto adjicere velim. Qui hanc rem ejusque indicationes atque operas accuratius enixiusque doceri malunt, auctores celeberrimos *de Siebold* [1]), *Stein* [2]) etc. omni studio aggrediantur. Mihi consideranda hic sola est quaestio, utrum partus Agrippinus imperfectus, qui ex alio quolibet infantis situ arte ad pedes verso effectus est, uno pede protracto finiri possit, an alter quoque pes conquiri depromique semper debeat. Qua de re [3]) magnum

---

[1]) l. c. T. II. §. 422 sq.

[2]) l. c. T. II. pag. 194.

[3]) cf. *Sander* in Lucina, B. IV. St. 3 pag. 345 sq.

valere sententiarum discrepantium certamen haud ignorans, eos existimo auctores perquam errare, qui nullis excipiendis pedem alterum utique ac semper protrahi velint. Versionem enim in pedes vitam infantis quodammodo semper periclitari, res est, quam largiaris oportet. Quod periculum, ubi obstetrices imperitae rudesque praepostere ac petulanter naturali nisui antevertere ausae sint, magis crescere et matrem ipsam adire, medici, ut damnum futurum resarcirent, serius advocati haud raro docentur. Interest igitur, tempus rationesque definire, quibus versio ad pedes optimo successu fieri possit. Sequamur experientiam, quae faustissimum versionis illius eventum tunc fore docet, si medicus involucra foetus nondum disrupta, suopte nutu discutere pedesque celerrime producere, et totum infantile corpusculum facili negotio efferre valuerit, quum hoc modo nec corpus ipsum, nec funiculus umbilicalis, a quo vita infantis gignendi dependeat, nimis comprimatur. At qua ratione, quibus operis hoc infantis producendi negotium, quod experientia saluberrimum esse ostentat, facillime absolvitur? Qua ratione corpori infantili ejusque integritati optime parcetur? Quo modo evitatur, ne funiculus umbilicalis in partu gignendo nimis afficiatur? Quae omnia aut uno tantum infantis pede protracto, aut altero simul pede prolato optime perficiuntur? Dignoscamus oportet certas disstinctasque conditiones, quae alteram et alteram infantis educendi rationem indicant. Sufficiet unus pes productus, ubi alter pes conquirendus majores adfert molestias temporisque mora nimia eget. Sunt multa exempla ab illustrissimis dignissimisque viris prolata, quibus versionem,

uno tantummodo pede attracto, eleganter eodemque tempore perfectam, infantemque, nullis membris (uti multi auctores volunt) fractis laesisve, facili negotio editum esse, enixe probatur. Vides itaque, hanc infantis evehendi rationem, uno nimirum pede acquisito, magni esse existimandam eamque majoris etiam habendam, ubi haemorrhagiae, placenta praevia, vel aliae affectiones perniciosae partum celerrime solvendum poscunt. Atqui in matre ipsa res permultae jacent, quibus, ut huic infantis in unum pedem versioni suffragium praebeamus, magnopere ducimur. Quanti ac quales dolores molestiaeque matri parturienti afferantur, praesertim ubi infans vertendus est, concitentur, si consideraveris, nonne te decet omnia, quantum fieri possit, conferre, ut ista pariendi molimina mitigentur, negotiumque infantis educendi quam maxime acceleretur? Acceleratio tamen haec, ac mitigatio molestiarum tam optanda nunquam impetrabitur, si tempus pede altero quaerendo teritur, foeminaque parturiens tentante medico excruciatur. Objurgentur igitur obstetrices medicique de eo consilio, quo versio infantis gignendi, nisi ad utrunque pedem, nunquam ad unum fieri debet. —

VITAE CURRICULUM,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Ego Gustavus Fridericus Bernhardus Benedix natus sum Grimmae, Pomeraniae anterioris oppidulo, Die I. Mens. Mart. A. MDCCCV, patre, Jacobo Godofredo, optimo ac dilectissimo gaudens, Medicinae et Chirurgiae Doctore, Collegii sanitatis, quod olim floruit, Gryphisvaldensis membro, circuli Rugia-Bergani Physico publico, Nosocomii provincialis ibi florentis medico primario, matris amicissimae, e gente Huldbergiana, exsequias puer decennis jam ivi. Istud damnum acerbum mox resarsit numen supremum, quum matertera dilecta beatam matrem, anno defluxo, secuta mihi nunquam novercaretur, sed mater me semper foveret tenerrima atque benignissima. Religioni evangelicae secundum Lutheri formulam addictus, Bergam Rugiae Insulae oppidum cum parentibus me contuli, ibique literarum elementis imbutus, ac deinde Magistro Celeb. Odebrecht duce literis magis provectus, Gymnasium Friedlandiae sub Illustr. Wegener ejus temporis Rectore florens adii. Duos annos hic commoratus et secundum maturitatis gradum Berolini adeptus, D. XV. Mens. Maji A. MDCCCXXIV ab Illustr. Hoffmann t. t. Rectore magnifico in numerum civium Academicorum Universitatis Literariae Berolinensis receptus, ab Illustr. Rudolphi, tunc Medicorum Ordinis Decano, Medicinae Studiosis adscriptus sum. Quam diu

Berolini commoratus sum, hasce Illustr. Virorum frequentavi praelectiones: Illustr. RUDOLPHI Encyclopaediam et Methodologiam medicam, Anatomiam universam organorumque sensuum et dentium, Physiologiam et Anatomiam comparatam me docuit, qui in cadaveribus lege artis dissecandis dux mihi fuit benignissimus ac praeceptor simul cum Illustr. KNAPE, cujus de Osteologia et Syndesmologia praelectionibus interfui. Illustr. LINK de Historia naturali, de Botanice et Toxicologia, Celeb. HEYNE de Plantis officinal., Illustr. MITSCHERLICH de Chemia experimentali, Illustr. HECKER de Pathologia generali, Perillustr. CH. GUIL. HUFELAND de Semiotice, Illustr. HORN de vesaniis disserentes audivi.

Sesquianno praeterlapso Gottingam profectus ab Illustr. LANGENBECK t. t. Prorectore, Die IV Mens. Octbr. in Ordinem Medicum receptus, hisce interfui praelectionibus: Illustr. LANGENBECK de Anatomia universa et Neurologia, Celeb. HEMPEL de Myologia; utroque duce cadavera rite dissecandi artem exercui. Illustr. CONRADI Pathologiam et Therapiam et generalem et specialem, Materiamque medicam practicam; Illustr. LANGENBECK Chirurgiam, Akiurgiam et Ophthalmologiam docentes audivi; ab Illustr. MAYER de Physice experimentali, ab Illustr. SCHRADER de Pharmacologia, ab Illustr. STROMEYER de Pharmacia et Zoochemia, ab Illustr. MENDE de Medicina forensi Arteque obstetricia, tam theoretica quam practica, a Celeb. MARX de Historia medicinae literaria praecepta hausi. Praeterea Clinicum medicum Illustr. CONRADI duce ejusque Casuisticum, Clinicum chirurgicum et Ophthalmiatricum Illustr. LANGENBECK duce frequentavi.

Postea A. MDCCCXXVII in Almam Academiam Berolinensem redux, Die IV. mens. Aprl. ab Illustr. LICHTENSTEIN t. t. Rectore magnifico in numerum civium academicorum denuo receptus, ab Illuslr. RUDOLPHI, viro eruditissimo, Medicorum Ordinis tunc etiam Decano ma-

xime spectabili, Medicinae studiosis adscriptus Illustr. RUST de morbis syphyliticis, Illustr. KLUGE de ossium fractorum luxatorumque cognitione, Illustr. JUENGKEN de Acologia, Illustr. DE SIEBOLD de foeminarum morbis audivi. Tum etiam Clinico medico, cui praeest Illustr. NEUMANN, Clinico chirurgico Illustr. RUST duce non defui; Illustr. DE SIEBOLD exercitationes obstetricias manuales et instrumentales adii, ejusdemque Clinicum obstetricium frequentavi; sub auspiciis Illustr. DE GRAEFE in Clinico chirurgico et ophthalmiatrico artem chirurgicam exercui.

Quibus omnibus praeceptoribus honoratissimis et de me erudiendo optime meritis summas persolvo gratias et in sempiternum habebo.

Tentaminibus, tam philosophico, quam medico et examine rigoroso absolutis, spero fore ut, Dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. *Liquor Amnii nutritioni foetus non inservit.*

II. *Causa praedisponens idem valet ad morbos provocandos, quod causa occasionalis.*

III. *Sellis obstetriciis ad partum non opus est.*

IV. *Versio in unum pedem saepe est praeferenda.*

V. *Foetus respiratio in utero plane non rejicienda.*

VI. *Jureconsultos firmat medicorum judicium.*